

XV

IN CHLORIM

Glyconico-Asclepiadens

Vxor pauperis Ibycī,
Tandem nēquitiae fīge modum tuae,
Fāmōsīsque labōribus :
Mātūrō propior dēsine fūnerī

Inter lūdere virginēs,
Et stēllīs nebulam spargere candidīs.
Nōn, sī quid Pholoēn satis,
Et tē, Chlōri, decet : fīlia rēctius

Expūgnat iuvenum domōs,
Pulsō Thȳias utī concita tympanō.
Illam cōgit amor Nothī
Lascīvae similem lūdere capreae :

Tē lānae prope nōbilem
Tōnsae Lūceriam, nōn citharae, decent,
Nec flōs purpureus rosae,
Nec pōtī, vetulam, faece tenuis cadī.